Ite oſtendite vos ſacerdotibꝫ. Uulnera
aūt peccatoꝝ aliq̄ñ ſunt recentia pec ꝯſen
ſum vel vinculum actū. ⁊ tunc ſanant̄ vncti
one.i.leuis pn̄ie iniunctōe. Eccl.x. Bre-
uem languorē precidit medicus. Aliquā
do ſunt inueterata ꝑ peccandi ꝯſuetudinē
⁊ tunc indigent aduſtione.i.graui carnis
maceratōe. ps. Ure renes meos ⁊ coꝛ me
um. Aliq̄ñ ſunt putrefacta ⁊ tunc indigēt
inciſione.i.inciſiua ⁊ afflictiua tribulatōe
ps. Multiplicate ſunt infirmitates eoꝝ
poſtea accelerauerūt. ¶ Septimo maniſe
ſtauit ſe per comeſtionē. q2 comedit piſcē
aſſum ⁊ fauū mellis Spūaliter tn̄ reſuſ-
citatus intelligit̄ qn̄ quis fauū mellis co
medit.i.qn̄ ꝯſtanter exercet opa actionis
Et tn̄ ꝓpter hoc non deſerit dulcedinē ꝯtē
plationis. vel qn̄ exterius patit̄ tribulati
onem. ⁊ tn̄ interius nō deſerit amoꝛis dul
cedinem. Uel poteſt dici ꝙ in fauo ē mel
⁊ cera. Per piſcem igit̄ aſſum intelligit̄
caro xp̄i igne paſſionis aſſata. per ceram
que eſt pabulum luīs claritas ſue reſurre
ctionis. ꝑ mel dulcedo ſue viſionis. De-
bemus igit̄ comedere piſcem aſſum. vt.ſ.
ad eius paſſionem afficiamur per ꝯpaſſio
nem. ceram vt eius reſurrectioni ꝯgaude-
amus per mentis exultatōem. Et mel vt
ꝑuenire deſideremus ad eius dulciſſimā
viſionem. ſicut deſiderauit ꝓpheta dicens
Sitiuit aīa mea ad deū fontem viuū qn̄
veniā ⁊ apparebo ante faciem dn̄i.

¶ De ſancto Ambroſio Sermo .j.

Ecce intelliget ſeruus meus ⁊ exaltabit̄ ⁊ ele
uabitur ⁊ ſublimis erit valde
Iſa.lij. Quatuoꝛ ſtatus habuit beat9 am
bro. qui notant̄ in verbis premiſſis. ¶ Pri-
mus eſt ſtatus ſubiectionis cum dr̄. Ec-
ce intelliget ſeruus meus. Ipſe quidē fu
it bonus ſeruus dei. ⁊ ido habuit tres lau
dabiles ꝯditiones boni ſerui. Prima eſt
mundicia. ps. Ambulans in via imma-
culata hic mihi miniſtrabat. Iſtam ipſe
habuit. q2 mundiciā mentis ⁊ carnis ſer
uauit. vnde refert Ieroni. ipſum dixiſſe
Uirginitatē non ſolum efferimus ſed ſer
uamus. Sap.viij. Cū eſſem magis bo-
nus veni ad corpus nō coinquinatū. ¶ Se
cunda ꝯditio eſt ſapīa. Prouer.xiiij. Ac
ceptus eſt regi miniſter intelligens Iſtā
ſapīam ipſe habuit. Unde dr̄ de eo ꝙ cū
rome liberalibꝫ artibꝫ eſſꝫ traditus ad ple
num fuit eruditus. ¶ Tercia eſt ꝑſeueran
tia. Apoca.vij. Seruiet ei die ac nocte in
templo dei. Iſtam perſeuerantiā ipſe ha-
buit. q2 vſqꝫ in finem in bonis operibꝫ ꝑ-
ſeuerauit. vnde cum moreret̄ dixit. Non
ſic vixi inter vos vt iteꝝ me pudeat viue-
re. ¶ Secundo notat̄ ſtatus ſue prelatio-
nis cum dr̄. Exaltabit̄. Circa aūt ſuam
exaltatōem tria ꝯſiderantur. Primo qua
lis fuit eius electio. fuit enim a deo inſpi
rata. q2 ibi vox miraculoſe inſonuit. Am-
broſium epm̄. de hoc Hebre.v. Nemo
aſſumit ſibi honorem niſi qui vocat̄ a deo
tanqꝫ aaron. Fuit ab electoribus vnani-
miter celebrata. Nam cum in diſcordia
multa eſſet ꝓpinus in ambroſium vnani
miter ꝯſenſerunt Eccl.xxv. In tribꝫ bene
placitum eſt ſpūi mei que ſunt concoꝛdia
fratꝝ ⁊c̄. Fuit a ſuperioꝛi cum gaudio ꝯfir
mata. vnde legit̄ de eo ꝙ ꝯmiſſa eſt rela-
tio ad valentinianū imparatorem qui ſum-
mo gaudio accepit ꝙ iudices a ſe directi
ad ſacerdotium peterentur. ¶ Secundo vi
dendum eſt qualis fuit eius ad hoc aſpi-
ratio. Ipſe enim non tantum fugit vt nō
poſſit inueniri. ſed etiam tria ſe habere ſi-
mulauit que ſunt preliationis officio ini
mica ſcꝫ crudelitatem. vnde dicitur. quia
tribunal cōſcendit ⁊ contra ꝯſuetudinem
tormenta pſonis adhiberi iuſſit. Eccleſ.
iiij.ca. Noli eſſe ſicut leo in domo tua ⁊c̄
Philoſophicā vanitatem. vnde dr̄ quia
philoſophiā ꝓfiteri voluit. j.Coꝛ.ij. Lo-
quemur nō in doctis ſapīe humane vbis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Infamiam ⁊ inhoneſtatem. vn̄ dicit̄ ꝙ
publicas mulieres publice ad ſe venire fe
cit vt ex hoc a ſua intentōne pplm̄ reuoca
ret. Tytum. j. Oportet ep̄m ſine crimine
eſſe. Tercio videndū eſt qualis fuit eius
in officio ꝓſecutio. Ipſe em̄ pplm̄ in fide
inſtruebat. tunc enim arriana hereſis totā
italiam corrupat ſed ip̄e pplm̄ ſuū ab iſta
peſte purgauit ⁊ veritatem edocuit fidei.
Eccle. l. Qui curauit gentē ſuam ⁊ libera
uit eam a ꝑditiōe. Ipſe etiam mores in-
formabat Unde inter cetera docuit beatū
Aug. tria ad mores ſpectātia. Primo ne
cuiqꝫ vxorem peteret. ne ſi poſtmodū ipſi
inter ſe male ꝯuenirēt. ipſi ſibi maledicāt
Scd̄o ne aliquibꝫ multū exercere ꝯſule-
ret ne ipſi rapinam ⁊ calūniam exerceāt.
Terciū ne ad ꝯuiuia inuitatus accederet
ne ibi tꝑantie modum ꝑdat. Ipſe exem-
plum bonoꝝ operū omnibꝫ tribuebat. ad
Tytum. ij. In omnibꝫ teipſum prebe exē
plum bonoꝝ opeꝝ. in doctrina. in integri-
tate. in grauitate In doctrina quidem qꝛ
ſꝑ populis predicauit. In integritate. qꝛ
ꝑpetuam caſtitatē ſeruauit. In grauitate
maturitatē ſemꝑ oſtendit. In bonis ope
ribꝫ qꝛ omnia bona pauꝑibus erogauit.
¶ Tercio notat̄ ſtatus ꝯſummatōnis cum
dr̄. Eleuabit̄. ipſe enim ſecure mori potu
it. qꝛ ab omnibus terrenis eleuatus fuit.
Habuit eniꝫ in morte quatuor que ip̄m
ſecure mori faciebāt. ſ. corpus dominicū
Honoratus em̄ ep̄s vercellen̄. ex p̄cepto
dei ad ip̄m ꝑuenit ⁊ ſibi ſacramētū dn̄ici
corporis dedit. Et cū tali viatico ip̄e trāſi-
uit. Iſtud autem tanqꝫ pugil ab omnibꝫ
inſidijs demonis eum ſecurum reddebat
Job. xvij. Pone me iuxta te. cuius vis
manus pugnet contra me. Scd̄o habuit
ſpm̄ ſcm̄. Imminēte nāqꝫ eius morte ſpi
ritus ſanctus in ſpecie ignis ⁊ in modum
ſcuti in ei⁹ os intrare viſus eſt. In ſpecie
ignis vt ipſum purgaret. In modū ſcuti
vt ipſum ꝓtegeret. In os eius vt verba
a ſpū ſcō ꝓlata oſtenderet. ⁊ iſtud ſecūdū
tanqꝫ ductor eum ꝑ viam ducebat. ps.
Spūs tuus bonus deducet me in viam
rectam. Tercio habuit vitam ſcām quaꝫ
quidē duo cauſabāt. ſ. meritoꝝ ſuoꝝ af-
fluentia magna ⁊ de deo fiducia. vnde ſic di
xit in ſua morte. non ſic vixi inter vos vt
me viuere pudeat. nec mori timeo. qꝛ bo-
num dn̄m habemuſ. Et iſtud terciū eius
mortem deo gratā reddebat. Aug. Certe
nō poteſt male mori qui bn̄ vixit. Quar-
to habuit ꝯmendatōnem diuinam. Ipſe
enim manus iti modū crucis expandēs
ſpm̄ ſuum in manus dei recōmendauit. ⁊
iſtud quartū ſecure eū mori faciebat. Sa
pi. iij. Iuſtoꝝ anime ī manu dei ſunt ⁊ nō
tanget illos tormentuꝫ mortis. ¶ Quarto
notat̄ ſtatus ſue glorificationis. cum dr̄.
Et ſublimis erit valde. ip̄e enim tunc tri
plicem ſublimitatē accepit Primo ſubli
mem locum ad habitandū vt celum. vn̄
a multis viſus eſt aſcendere. ſ. in celum
tanqꝫ in ꝓpriū ſuū locū. ⁊ iſtud ſibi acqui
ſiuit ꝓpter innocentiā. ps. Quis aſcēdet
in montē ⁊c. innocēs manibꝫ ſꝫ ⁊ mūdo
corde ⁊c. Scd̄o accepit ſublime officiuꝫ
ad iudicandū. vn̄ a multis viſus eſt in
cathedra reſidere. ⁊ iſtud accepit propter
pauꝑtatem voluntariā Job. xxxv. Iudi
ciū pauꝑibꝫ tribuit. Tercio accepit ſubli
me preciū ad ꝑfruendū. vn̄ multi ſupra
corpus eius ſtellam ſplendidā ꝯſpexerūt
illam. ſ. ſtellam de qua dr̄ Apo. xxij. Ego
ſum ſtella ſplendida ⁊ matutina. ⁊ iſtud
accepit ꝓpter oīm vicioꝝ victoriā. Apo. j
Qui enim vicerit dabo ei ſtellam ſplen-
didam ⁊ matutinam.

¶ De eodem Sermo. ij.

Examē apū ī ore leōis erat ⁊ fau⁹
mellis Judic. xiiij. Legit̄ de brō
ambro. ꝙ cū eēt īfans ⁊ dormiꝫ
examē apū os ei⁹ ⁊ faciē ſic ꝯpleuit. vt
q̄ſi in alueolū ſuū intrarēt ꝑiter ⁊ exirēt ⁊
iō v̄ba premiſſa ſibi ꝯuenienter aptari pn̄t

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

¶In quib⁹ verbis ipſe aſſimilatur api. leo ni. ⁊ fauo mellis. Aſſimilať autem api tri plici de cauſa. Pꝛimo. qꝛ ſicut ipſe dicit in exameron apis virginitatem cuſtodit. ſic ⁊ ipſe virginitatē cuſtodiuit perpetuā. Cuius ſignū fuit. qꝛ de virginitate luculē tiſſime diſſeruit. ⁊ libros de virginib⁹ cõpo ſuit. in quib⁹ virginitatem mirabiliter cõ mendauit. Mat. xij. Bonus homo de bo no theſauro pfert bona. Criſ. ibidem. Cū audis aliquē de deo loquentē intellige qꝛ cor illius amoꝛe dei repletū eſt. Qui libi dinis theſauꝝ habet in coꝛde de puellis de lectať dicere vel audire. Nō tantū ambꝛo ſius de virginitate libenter differebat. ſed etiā aliquid indecoꝝ dicere vel audire eru beſcebat. vnde ipſe ait de officijs. Non ſo lum autem hoc ab oculis abſcondamus. verum etiam eoꝝ indicia vſqꝫ membꝛoꝝ ſu is appellationib⁹ nuncupare indecoꝝ pu temus ¶Secundo aſſimilatur api. Apis roꝛem de diuerſis floꝛib⁹ colligit. In pꝛa to quidem celeſtis viriditatis ſunt diuer ſi floꝛes. ſcꝫ roſe martirum. viole cõfeſſoꝝ ⁊ lilia virginum. De roſis martirum col legit roꝛem cõſtantie ⁊ magnanimitatis. Unde cum prepoſitus valētinian impe ratoꝛis ſibi diceret. Tu contemnis valen tinianum. caput tibi tollo. Ille reſpondit Deus permittat tibi vt facias quod mi naris Et vtinam deus ab eccleſia ſua om nes hoſtes auertat. ⁊ in me omnia ſua te la conuertant. ⁊ meo ſanguine ſatientur. De violis confeſſoꝛū collegit floꝛem ſo brietatis. quia quotidie niſi in ſabbato ⁊ dominica die ⁊ feſtis precipuis ieiunabat De lilijs virginum collegit floꝛem caſti tatis. quia virginitatem perpetuam cõſer uauit ¶Tercio aſſimilatur api. quia apis alueolū ſuum defendit. ſic ⁊ ipſe eccleſiaꝫ defendit a trib⁹ perſecutoꝛib⁹. Pꝛimo a violentia tirannoꝝ. Unde reſiſtens impe ratoꝛi volenti dare baſilicā arrianis ſic nū cijs ſuis reſpondit. ⁊ habeť in decreto Si

patrimonium petitis inuadite. ſi coꝛpus occurram. vultis in vincula rape. vultis in moꝛtem voluntas eſt mihi. Eccl. xlviij In dieb⁹ ſuis nō pertimuit principem ⁊c̃ ¶Secundo defendit ipſam a fraudulen tia hereticoꝛum. ⁊ hoc fiebat trib⁹ modis Pꝛimo iudicijs. eos per ſeculare bꝛachi um coercendo. Deuterono. xiij. Si tibi voluerit perſuadere frater tuus ⁊c̃. Et in fra. Non enim parcat ei oculus tuus ſed ſtatim interficias Secundo miraculis e os conuertendo. Unde cum quidam he reticus vidiſſet angelum loquentē ad au res ambꝛoſij ſtatim conuerſus eſt. Tercio doctrinis eos ad fidem catholicam redu cendo. ſicut patet in beato auguſtino queꝫ ſuis pꝛedicationibus ad fidem conuertit ¶Tercio defendit eccleſiam a malicia de monum. Pꝛimo. quia habuit in ipſos efficax imperium ex eo ꝙ eos de coꝛpori bus expellebat. Mathei vltimo In nomi ne meo demonia eijcient. Secundo quia habuit in ipſos durum flagellum. ideo ip ſum valde timebant. Unde demon quen dam demoniacum mediolanum egrediē tem dimiſit. egredientem inuaſit. Qui de hoc interrogatus reſpondit ſe ambꝛoſium timuiſſe. Luce. x. Ecce dedi vobis poteſta tem calcandi ſuper ſerpentes ⁊c̃. ¶Tercio quia habuit ſpiritusſancti pꝛeſidium Un de demones ad ipſum nocendum a quo dam mago miſſi de hoc reuerſi dixerunt. ꝙ non ſolum ad ipſum ſed etiam ad fo res domus appinquare non audebāt. quo niam ignis inſeparabilis ſic omne eius edi ficium muniebat. vt etiam longe poſiti v rerentur ¶Secundo aſſimilatur leoni tri plici ratione. Pꝛimo quia leo apertis ocu lis doꝛmit. Sic beatus ambꝛoſius doꝛmi ebat per quietem contemplationis. et ta men vigilabat per laboꝛem actionis. Cā ticoꝝ. v. Ego doꝛmio ⁊ coꝛ meū vigilat. In doꝛmitiõe quidē ſenſus ⁊ motus inter cipiť ⁊ caloꝛ interioꝛ ad exterioꝛa reuocať

Sic in beato ambroſio deficiebat ſenſus
ambicioſe vanitatis. vnde ipſe de ſe dixit
Ambroſius neſcit inflari. Col. ij. Ambu
lãs fruſtra inflatus ſenſu carnis ſue. De
ficiebat motus terrene cupiditatis. quia
omnia ſua paupibꝫ erogauit. Auari eniꝫ
ſemꝑ ſunt in motu. qꝛ ſemꝑ ſunt in appe
titu Eccle. v. Auarus non implebit̃ pecu
nia. Deficiebat in ipſo calor carnalis vo
luptatis. qꝛ virginitatem ſeruauit. Viue
bat autem in eius corde flãma caritatis.
ps. Inflãmatum eſt cor meuꝫ ⁊c. Scd̃o
aſſimilat̃ leoni qꝛ leo clamando ſuos le/
unculos ſuſcitat. ſic ⁊ ipſe multos mor/
tuos ĩ peccatis ſuſcitauit. nõ tñ clamorẽ
oris predicãdo Iſa. lij. Clama ne ceſſes.
⁊c. Non tñ clamore cordis feruenter o/
rando Exod. xiiij. Quid clamas ad me.
Non tñ clamore opis fortiter operando
Jone. iij. Clament ad deum in fortitudĩe
ſed etiaꝫ clamore oculoꝝ lacrimas emit/
tendo. Emiſit enim tria genera lacrimaꝝ
ſcꝫ lacrimas deuotõnis ꝓ eternis deſide
rijs. Unde dicit̃ d̃ eo ꝙ cum aliquis vir
ſanctus moriebat̃ abundantiſſime flebat
Et interrogatus cur hoc faceret. Rñdit.
Ne putetis me flere qꝛ receſſit. ſed qꝛ me
preceſſit. Lacrimas doloris pro aliorum
peccatis. vnde legit̃ ꝙ cum aliquis la/
pſum ſuuꝫ ſibi cõfitebat̃ ſic amare flebat
ꝙ ipſuꝫ flere ſimiliter compellebat. Et la
crimas compaſſionis pro alioꝝ iniurijs
Unde dicit de ſe. ⁊ eſt ĩ decreto aduerſus
milites gothos. Lacrime mee arma mea
ſunt. Aliter nõ poſſum nec debeo reſiſtere.
¶ Tercio aſſimilat̃ leoni. qꝛ leo quando fu
gatur veſtigia ſua delet cum cauda. ſic et
beatus Ambroſius omnia veſtigia dia/
boli de corde ſuo deleuit ⁊ veſtigia chriſti
impreſſit. Sed multi ſunt d̃ quibꝫ dicit̃
illud Dañ. xiiij. Video veſtigia virorum
quo ad peccatum ſupbie ⁊ mulierũ. quo
ad peccatum luxurie. ⁊ infantum quo ad
peccatũ auaricie. Auarus enim inſtar in/
fantis ſuꝑ terrã repit. Tercio aſſimilatur
melli ⁊ hoc ꝓpter ſuam melleam doctrinã
Doctrina eius dicit̃ mel ꝓpter vtilitateꝫ
⁊ ꝓfunditatem. Utilitas autem eſt. quia
mel eſt mũdificatiuũ. ꝯſeruatiuũ ⁊ dulco
ratiuũ. ideo ponit̃ in medicinis ad mũdi
ficandum ad ꝯſeruandum ⁊ ad amarum
ſaporem remouendum. ſic doctrina beati
Ambroſij habet mũdificare a culpa pre/
terita. Johan. xv. Jam vos mundi eſtis
ꝓpter ſermonem quem locutus ſum vo/
bis. preſeruare a culpa futura. Pſal. In
corde meo abſcondi eloquia tua. vt non
peccẽ tibi. Et dulcorare a pena illata. Ec
cle. xviij. Nõne ardorem refrigerabit ros
Sic ⁊ verbum melius ꝙ̃ datum. Scd̃o
ei⁹ doctrina dicit̃ mel ꝓpter ꝓfunditatẽ.
Oleum quidem melius eſt in ſuperficie.
vinum melius in medio. melius mel in
ꝓfundo. Scriptura ſacra habet triplicēꝫ
intellectum ſcꝫ hiſtorialem. moralem. mi
ſticum ſiue ſpũalem Per oleum quod ẽ
melius in ſupficie intelligit̃ ſenſus hiſto
rialis qui eſt cibus puuloꝝ. quem ⁊ apo
ſtolus vocat lac dicens. j. Coꝝ. iij. Tãꝙ̃
puulis ĩ chriſto lac potum vobis dedi nõ
eſcam. Per vinũ quod eſt melius in me
dio ſignificat̃ ſenſus moralis qui eſt me
dius inter ſenſum hiſtorialem ⁊ ſpũalem
Per mel quod eſt melius in fundo ſigni
ficat̃ ſenſus ſpũalis. Sacra ei ſcriptura
quãto ꝓfundius penetrat̃ tanto dulcior
inuenit̃. Iſtum triplicem ſenſum ſponſa
cũ ſuauitate ſibi incorporat dicens Can.
v. Comedi fauũ cum melle meo. bibi vi
num cum lacte meo. Iſtum profundum
intellectum Ambroſius ĩ ſacra ſcriptura
habuit. de quo ſic dicit Iheronimus in li
bro de. xij. doctoribus. Ambroſius ſuper
ꝓfundoꝝ pinnaꝫ raptus ⁊ aeris volucer
ꝙ̃diu in ꝓfundum ingredit̃ fructum de
alto capere ac rapere videt̃.

¶ De eodem Sermo. iij.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Fauus diſtillans labia tua ſpon-
ſa. Cantic. iiij. In corꝑe miſtico
xp̄i vbi caput eſt criſtus diuerſa
ſunt membra Nam oculi ſunt apoſtoli to
tum mundū illuminantes. Manus ſunt
martires in bello dei fortiter laborantes.
Aures ſunt confeſſores dei preceptis obe
dientes. Nares ſunt virgines puritatis
odorem ſpirantes. Labia ſunt doctores ⁊
predicatores cibū verbi dei a deo recipien
tes ⁊ populo miniſtrantes. Et q2 ſanctus
ambroſius fuit magnus predicator ⁊ do-
ctor. ⁊ ideo predicta verba de eo ꝯuenien
ter exponi poſſunt. In quibꝫ verbis tria ꝓ
uilegia de ipſo ponunť. Primū eſt. q2 in
doctrina ſua fuit valde gratioſus. cum di
citur. labia tua. Ex hiis enim labiis mō
eribant verba ducentia pctōres ad ꝯtritio
nis amaritudinē. Cant. v. Labia eius di
ſtillantia mirrā primam. Mō inflamman
tia bonos ad amorē. Can. iiij. Sicut vit
ta coccinea labia tua. Modo verba veriſſi
ma ꝯfirmantia omnes in dei fide ⁊ dilec-
tione. Prouer. xij. Labiū veritatis firmū
erit in perpetuū. Iſta aūt verba de ſe nō ha
bebat. ſed ab ore dei recipiebat. Hiere. xv.
Si ſeparaueris precioſum a vili quaſi os
meum eris. Fuerunt aūt labia eius qua
ſi quidā fons dei. ſm illud Prouer. xviij
Aqua ꝓfunda verba ex ore viri ⁊ torrens
redundans fons ſapientie. Ab iſto autē
fonte in ſuis labiis ſiue ſuo ore tres ma-
gni riui emanauerunt ſcꝫ ſapie. doctrine ⁊
ꝯſtantie. Eius aūt ſapientia fuit ꝓfunda
Hiero. Ambroſius ſuꝑ ꝓfundoꝝ pinnam
raptus ⁊c. Job. xxviij. Profunda quoqꝫ
fluuioꝝ ſcrutatus eſt. Fuit a deo inſpira
ta. Unde legiť ꝙ quidam hereticus vidit
angelum ad aures ambroſij loquentem.
⁊ verba que predicabat populo referentē
Fuit ꝓ magno autore habitus. q2 alij do
ctores eius verba ꝓ magna autoritate ha
bebant Unde refert aug9. ad iouinianum
ꝙ cum mater ſua miraretť ꝙ ſabbato me-
diolani non ieiunaretur. ⁊ ſuper hoc Am-
broſium interrogaſſet. ille reſpondit. Cū
romam venio ieiuno ſabbato. ſic ⁊ tu ad
quam eccleſiā veneris eius morem ſerua
ſi cuiqꝫ non vis ſcandalū eſſe. nec quenqꝫ
tibi. Et ſubdit aug9. Ego de hac ſentētia
etiam cogitans ita ſemꝑ eam habui. ac ſi
eam celeſti oraculo receperim. ¶ Secundo
emanauit ab eo ſolida doctrina. vnde au
guſt. de doctrina xp̄iana. Doctor debet a-
gere vt ipſe audiať intelligenter. libenter.
⁊ obedienter. Beatus igiť ambroſius au
diebať intelligenter. libenter. ⁊ obediēter.
Primo intelligenter q2 doctrina fuit fir-
ma ⁊ ſolida. Unde iheronimus dicit d̄ eo
Eius omnes ſententie fidei ⁊ eccleſie et
omnium virtutū firme ſunt columne. ad
Ephe. iiij. Non ſimus paruuli fluctuan-
tes nec circumferamur omni vento doctri
ne. Audiebať libenter. quia eius doctrina
fuit placens ⁊ pulchra. Unde dicit aug.
in libro de nuptiis ⁊ concupiſcentia. Pe
lagius hereſiarcha ſic laudat ambroſium
vt dicat. beatus ambroſius epiſcopus in
cuius precipue libris romana lucet fides
qui ſcriptoꝝ inter latinos flos quidam e-
micuit. Et ꝓuerb. xxij. Appone cor tuum
ad doctrinam meam que pulchra erit tibi
cum ſeruaueris eam. Audiebať obedien-
ter. q2 eius doctrina fuit efficax ⁊ fructu-
oſa. ſicut patet in beato aug9. quē tam vir
tuoſe ꝯuertit. j. ad Cor. iiij. Non enim in
ſermone eſt regnū dei ſed in virtute. ¶ Ter
cio emanauit ab ipſo fortis ꝯſtantia. que
maxime in tribus fuit. Primo in ſuſtinē
do aduerſa. Unde dicit in hiſtoria eccleſi
aſtica. Imperatrix iuſtina ꝯturbare cepit
eccleſiarum ſtatum in quo bello murum ⁊
turrim validiſſimam pulſabat ambroſiū.
Secundo in defendēdo eccleſiaſtica iura
Unde cum imperator quandam baſilicā
vſurpare vellet ambroſius ſic reſpondit.
Noli grauare te imperator. nec putes te
in ea que dei ſunt. imperiale aliquod ius

habere tributum ceſaris eſt non negetur.
eccia dei eſt. ceſari vtiqꝫ non donetᷣ. Pri⁹
eſt vt animā mihi qꝫ fidem auferat. Ter
cio in reprehendendo principū vicia. Vñ
cum theodoſius imperator quoſdam inno
centes occidi mandaſſet. Ambro. ipſum
dure redarguit ab introitu eccleſie ipſum
ſuſpendet ꝛ publicam penitentiā eidē in/
iunxit. Titum. ij. Argue cum oī imperio ¶
Secundū priuilegium eſt qꝛ fuit in vita
ſua valde virtuoſus qḋ notatᷣ cum dicitᷣ
Fauus vbi eſt mel ꝛ cera. Diſtinguit aūt
Aug. lib. de ciui. dei. triplex genus vite. ſ.
ocioſam que ꝯſiſtit in ocio ꝯtemplatiōis
ꝛ eſt quaſi mel. Actuoſam que cōſiſtit in
labore actōis ꝛ eſt quaſi cera. Ipſi eniꝫ
actiui ad inſtar cere debent eſſe ductibiles
ad omne bonum. Et ex vtroqꝫ ꝯpoſitam
eſt quaſi fauus. Prima autem vita. ſ. cō
templatiua ꝯſiſtit in deuota oratōe. in di/
uinoꝝ reuelatōne. ꝛ in dei laudatōne. Et
iſta tria Ambroſius habuit. ſcꝫ deuotam
oratōnem. vnde dicitᷣ in hiſtoria eccleſi/
aſtica. Ambroſius aduerſus regine furō
rem non ſe manu defendebat aut telo. ſed
ieiunijs ꝛ vigilijs ſub altari poſitus per
obſecratōnes defenſoreꝫ ſibi atqꝫ eccleſie
deum pꝛabat. Habuit diuinoꝝ reuelatōꝫ
qꝛ ſpm̄ ſcm̄ in ſpecie ignis ꝛ ī modū ſcuti
ad ſe venientem aſpexit. Fecit dei lauda/
tionem. vnde refert Aug. in libro ꝯfeſ. ꝙ
cum iuſtina ipſum cum populo catholico
intra eccleſiam ꝯcluſiſſet. Ambroſius in/
ſtituit hymnos ꝛ pſalmos decantari. ne
populus meroris tedio ꝯtabeſceret. Se
cunda vita. ſ. actuoſa ꝯſiſtit in carniſ ma
ceratione. elemoſinaꝝ largitōne ꝛ vtili oc
cupatōne. Primū habuit Ambroſi⁹ qui
tante abſtinētie fuit ꝙ quotidie niſi ī ſab
bato ꝛ die dominica ꝛ feſtis precipuis ie
iunabat. Secundū habuit vnde ꝛ rñdet
imperatori ꝛ eſt in decreto. Si a me peteret
qḋ meum eſſet. i. fundū meuꝫ. argentum
meum aut hm̄oī nō refragarer. qꝫqꝫ oīa
que mea ſunt pauperꝫ ſunt. Terciū habu
it. qꝛ ſemꝑ aut orabat. aut ꝑdicabat. aut
libros ſcribebat. Tercia vita. ſ. ex vtraqꝫ
compoſita ꝯſiſtit in obſeruatōne ꝯſilioꝝ
ſcꝫ paupertatis caſtitatis ꝛ humilitatis.
Et ipſe pauꝑem ſe fecit. qꝛ factus ep̄us
omnia pauꝑib⁹ dedit. ꝛ virginitatē ꝑpe/
tuam ꝯſeruauit. humilitatem magnā ha
buit. vn̄ ip̄e dixit. Ambroſius neſcit in/
flari. ¶ Terciū priuilegiū eſt. qꝛ fuit ī ſua
predicatōne valde diſcretus. qḋ notatur
cum dr̄. Diſtillans. i. diuerſimode ſtillās
Non enim vna ꝛ eadē inſtructio eſt oīb⁹
facienda. ſed ſcḋm qualitatem auditoꝝ
formanda. ſicut oſtendit Grego. in li. mo
ral. dicens Sepe alijs officiūt que alijs
ꝓſunt. Nam plerūqꝫ herbe que hec alios
reficiunt. alios occidunt. ꝛ leuis ſibulus
equos mitigat. catulos inſtigat. ꝛ medi/
camentum qḋ huic morbuꝫ imminuit al
teri vires iungit. ꝛ panis qui vitam for/
tium roborat. paruuloꝝ necat. ꝛ corde cō
ſonam modulatōnem reddunt. que vno
quidem plectro ſed non vno impulſu fe/
riuntᷣ. Ex quib⁹ verbis habetur ꝙ ſermo
dei eſt tanqꝫ herba viridis dei que animā
ꝯfortat. Eſt tanqꝫ ſibulus dei qui animā
peccatoꝝ ad deum reuocat. Eſt tanqꝫ me
dicamentū dei qḋ animaꝫ infirmā ſanat.
Eſt tanqꝫ panis dei qui animā famelicaꝫ
ſaciat. Eſt tanqꝫ plectrū dei. qḋ ſpūalem
melodiam generat.

¶ De ſancto Georgio martyre.
Sermo primus

INduite vos ar
matura dī vt poſſitis ſtare aduer
ſus inſidias diaboli. qꝛ nō ē no
bis colluctatio aduerſus carnē ꝛ ſangui/
nem ꝛc̄. Ephe. vi. Miles ſtrēnuus debet
eſſe armis munitus ꝛ ad hoſtes expugnā
dos ſꝑ paratus. Et qꝛ beatus georgi⁹ erat
miles dei. iō primo deſcribitᷣ ab induitōe

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf